



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Maximiliani Sandaei E Societate Iesv Doctoris  
Theologi Architectura Christiana**

**Sandaeus, Maximilianus**

**Coloniæ Agrippinæ, 1653**

Sermo III. Domus Sapientiæ. Sensu Grammatico-Litterali. Historico,  
Tricliniu[m]. Sapientiæ ædificavit sibi Domu[m]. Quid est illa Domus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46065)



## SERMO III.

### DOMVS SAPIENTIÆ.

Sensu Grammatico, Litterali, Historico,


### TRICLINIUM.

*Sapientia edificavit sibi Domum: excidit columnas septem*  
Proverb. IX, 1.

---

#### ARTICULUS I.

#### TRICLINIUM. REFECTORIUM. COENACULUM.

 T DOMUS, quam ædificasse dicitur SAPIENTIA, habeatur exacta notitia, necessariò examinandum est, quid per Domum Sapientiæ intelligatur? Sic enim ad quæstionem, An sit? & Ubi sit? si alicubi est, atque Ubi extrui debeat; si fortasse in alicujus fundo nondum sit erecta, facilius, & sine ambagibus respondebitur. Sunt autem variæ diversorum Sapientum de hac Domo sententiæ, quas compendio referam, ut ad illam, quam uberius declarabo deinceps pronior fiat aditus Principiò itaque, si litteram spectemus, sive sensum litteralem, qui fundamentum esse debet reliquorum subsequentiũ, haud malè sentiunt, qui arbitrantur, GRAMMATICÆ, sive litteraliter, DOMUM SAPIENTIÆ designare, non integrum aliquod ædificiũ, suis cum contignationibus, aulis, cubiculis, cellis, conclavibus, horreis, similibusque receptaculis, quæ juncta parietibus, sub uno tecto DOMUS La-

*Prima Pars.*

H

ti-



tinis dicuntur, vel *Ædes*, sed certam quandam ædium partem. Quam verò illam? Quæ sumendo cibo, & celebrando convivio destinata, olim *Triclinium* dicebatur à tribus discubitoriis lectis mensam cingentibus, ita, stratori pueroque à poculis quartum mensæ latus esse liberum, ac reliquum: nunc, à reficiendo cibus corporis *Refectorium* nominatur apud Religiosos. In eo ferè tres mensæ sternuntur, vel, si plures, tria tantum domus latera occupant, Itaque sensus est: *Sapientia edificavit sibi Domum*, id est, aprivit amplissimum *Triclinium*, ad instituendum lautissimum convivium, ad quod sibi dedit devotosque asseclas, ac suis studiosos invitet, ut in eo sicut nempe *Sapientiæ ferculis*, quæ sunt dogmata, monita, præcepta benè vivendi, & salutis consequenda auditores suos erudiat, hospitesque exhilaret cum festu.

QUIA enim paullò ante Salomò, quod observat *Ceteranus*, & *Jansenius*, descripsit illecebras ac domum convivii, à meretrice, id est lasciviâ, seu voluptate apparatus, ad quam illa juvenem nitidum & ingeniosum invitavit, ut perverteret, ac in exitium præcipitaret, idcirco ut eidem benè consulat, & abductum à fallacissimæ meretriculæ Voluptatis deliciis, transferat ad studium *Sapientiæ*, inducit *Sapientiam* adornantem aliud *Triclinium*, & instituta comparatione, *Triclinio* ac *convivio* Voluptatis opponit, & anteponit *Domum* convivii, ut *Triclinium* à *Sapientia* extractum, veris que institutum deliciis. Sequitur invitatio, non unius tantum illius *Juvenis*, sed omnium illi similium. Nam mox mittit ancillas suas, ut vocaret ad arcem & ad mœnia Civitatis quam *Sapientia* inhabitat. *Si quis est parvulus veniat ad me, Et insipientibus loquuta est. Venite, comedite panem meum, bibite vinum, quod miscui vobis. Relinquitte infantiam & viri-*



*bulate per vias prudentie, Quibus omnes conatur à meretrice Voluptate avocare, & ad sui amorem, studiumque ac per hoc ad animæ salutem procurandam, verarum cultu virtutum, traducere. Accedit, quod Salomon toto illo libro Proverbiorum Sapientiam inducat, per fictionem personæ Oratoribus usitatam, differentem coram suis graviter simul ac jucunde, de omni pene virtutum argumento, parabolice, ænigmaticè, allegorice. Quo circa, ut tot dissertationum initium venustè daret, commodius facere non potuit, quàm designare locum, eumque delineare, ac depingere, in quo illæ sunt habitæ.*

## ARTICULUS II.

## DISSERTATIONES CONVIVIALES.

*Mos Hebræorum in Tricliniis convivando differere, moraliter, parabolicè, ænigmaticè.*

**O**BSERVO. Solitos fuisse Hebræos à majoribus suis in lege DEI versatis benè eruditos, convivia sua condire, non inanibus fabulamentis, non scurrilibus sarcasmis, non absencium detractionibus, non mutuis præsentium insectationibus, non verborum pugnis, aut verberum: non murmurationibus de præsentium rerum statu, non querelis de Imperatore, Rege, Principe aut Magistratu civili, vel Ecclesiastico, non infamationibus hominum DEO SACRATORUM, non criminum, quæ audita de aliis, vel visa narrationibus, non priorum, sive veterum, sive fictorum gloriationibus: non inconditis clamoribus, velut puerorum, non immodicis cachinnis, ut insanientium, non acerbis concertationibus, tanquam



ganeonum: multo minus juramentis, blasphemis, De-  
monum ac dirarum imprecationibus. Quæ, & his ge-  
mina, prò dolor! hoc tempore, sunt apud plerosque con-  
viviorum condimenta. Ut iis interesse pigeat pudeat  
que hominem mandatorum divinorum amantem, nec  
salutis suæ prodigum. An fortasse, idcirco S. Augustinus  
imitatus S. Ambrosium, invitatus in suâ patria, ire recu-  
sabat ad convivium? Sic narrat Possidonius in vita,  
cap. 27. At, ut a jebam, OBSERVO. Consueffe Hebra-  
os suis in tricliniis, tanquam Sapientiæ gymnasiis con-  
vivia condire ad mores accommendatis præceptis, a-  
cutis, vellicantibusque sententiis, parabolicis gnomis  
problematis elegantibus, ænigmatis, griphis, & simili-  
bus intricatis implicitisque sermonibus; quibus inter  
conferendo, & nunc proponendo, nunc respondendo  
nunc aliquid ingerendo, nunc opponendo, nunc, quod  
dictum erat, roborando, nunc novi aliquid commin-  
cendo, suavissime tempus traducebant.

ERAT autem istiusmodi sermonum genus, si lubet ac-  
curatius dividere, triplex. *Primum* continebat Præcepta  
moralia. *Alterum*, sententias acutas, argutasque, & dictæ  
ingenium exacuentia. *Tertium*, ænigmata, &, quæ eo-  
dem referri possent, eruditæ mentis fictiones. De pri-  
mo genere accuratè præcipit Ecclesiasticus capite xxxiii  
à versiculo iv. vbi moratos sermones in conviviis ha-  
beri debere edicit: sententias autem morales, gravesque  
& dicere, & audire vicissim, modeste proferendo, &  
patienter excipiendo suadet: denique, modum ordi-  
nemque servandum, ne sequatur confusio præscribit.  
*Loquere, inquit, major natu: decet enim te primum verbum de-  
ligenti scientia.* Pergit deinde serie continuata metho-  
dum complectens jucundè differendi ac utiliter inter  
epulas, monens, ne impediatur exhilarans musica. De  
gene-



Genere altero, quod continet acutas falsasque sententias nonnulla proponit Salomon Proverbiorum xxiii. Ubi appellat illas *Pulchros sermones* : & inter reliqua dat hoc præceptum : *Ne comedas cum homine invido, neque desideres cibos eius : quoniam in similitudinem arioli, & conjectoris estimat, quod ignorat, cibos, quos comederas, evomes : & perdes pulchros sermones tuos.* Sensus præceptionis est: Non esse epulandum cum homine, quem torquet invidia, quod is quamvis stupidus & ignarus, si dicatur quidpiam acutum & ingeniosum, haud secus ac si penetraret singula, de iis desierat, atque instar arioli, multa effutiat inepta & inania. Atque ita fit, ut doctus & prudens eruditos sermones suos, tanquam margaritas ante porcicos projiciat, nullum inde fructum ferens. Terti generis exemplum illustre est in historia Sampsonis, Judicum xiv. Ubi intra septem convivii nuptialis dies, Philisthæis proposuit problema, siue ænigma, vel griphum illum edisserendum, *De comedente exiit cibus & de forti egressa est dulcedo.*

## ARTICULUS. III.

## SENTENTIÆ EPULARES FESTIVÆ.

*Mos Græcorum, Latinorum, aliarumq; Gentium, in Tricliniis inter epulas proferendi sententias festivas & ingeniosas.*

NON tantum apud Hæbræos fuit in usu differere in conviviiis, sermonibus elegantibus & obscuris, verum idem mos obtinuit apud Græcos, & Latinos, immò, in omnibus bene institutis Rebus publicis. De Græcis satis constat ex Athenæo, qui volumen integrum scripsit de *Dipnosciphistis*, id est, *Cænis Sapientum*: in

H 3

quo



quo liber decimus penè totus est de convivalibus problematis, quæstiunculis, parabolis, proponendis, declarandis, definiendis. Cur autem id facerent antiquissimi illi Sophi, ita declarat, originem indicando: *In sita à natura omnibus hominibus scient & cupiditas effecit, ut etiam inter epulas aliquid Sapientes aut docerent, aut dicerent libenter, aut didicisse se ostenderent.* Plutarchus quoque scripturus *Symposiacalibro primo questione prima variis utitur argumentis, ut persuadeat, inter epulas esse philosophandum, nempe, haud morosè ac tetricè, sed jucundè acuta lepidis miscendo, & urbana academicis.* Ut fecisse Socratem memorant. Unde Socratici sermones, quibus convivæ, & se oblectabant, & ingenium acuebant. Clare Plinius junior libro tertio epistola duodecima. *Ad cenam sed jam paciscor: sit expedita, sit parca. Socraticis tamen sermonibus abundet.* Platonis etiam num legitur Dialogus, in quo de amore inter convivas in triclinio disceptatur. Unde convivii Platonici nomen. Eiusdem Philosophi sermones convivales celebrantur. Conqueritur autem serio Macrobius lib. 7. Satur. cap. 1. quod paulatim Philosophia à Tricliniis conviviisque exularit, ex quo factum, ut alumnæ etiam ejus emanerint: Honestas nimirum, & modestia; nec minus cum Sobrietate Pietas. *Quam haerum, inquit, dixerim minus venerabilem?* Addit: Ita fit, ut ab hujusmodi cætibus relegatus matronarum talium confessus, libertas conviviorum solis concubinis, id est, vitiiis & criminibus addicatur. Eiusdem scriptoris est illud: *Non minus, quam dulcedo vini, hilarant verba convivium.* Et, *Crateri liquoris ad latitiam nati adhibenda non modo Nympharum, sed musarum quoque admistione temperies.*

DE Latinis testis est Quintilianus lib. 1. Inst. & ante illum M. Tullius, tum Tusculanarum quæstionum primo

rum  
cuba  
&io  
Græc  
natio  
id ma  
Sapier  
pna,  
tum n  
idem  
apud  
vivii.  
Meliu  
braic  
rubic  
Pollu  
muni  
nat &  
Græc  
sicut  
in eâ  
Con  
conv  
hospi  
ctos a  
inter  
pianu  
bulas  
fert L  
us, P  
ut qua  
non d  
tia co



tum libello de senectute, ubi laudat Romanos, quod ac-  
 cubationem epularem, quia amicorum & vitæ conjun-  
 ctionem habeat Convivium nominarunt melius quam  
 Græci, qui hoc idem, tum comotationem, tum conce-  
 nationem vocant, ut quod in eo genere minimum est,  
 id maxime probare videantur. Quare epistola ad Pætum  
*Sapientius, inquit, nos quam Græci: illi Symposia aut syndeip-  
 na, i. e. comotationes, aut concenationes: nos Convivia, quia  
 tum maxime simul vivitur.* Quod dicit Cicero de Græcis,  
 idem dicere potuisset de Hebræis, si nomen spectes: nam  
 apud hos in usu est, *Domus vini*, aut *comotationis*, loco con-  
 vivii. Sic Ecclesiastæ VII ubi interpret, Latinus legit:  
*Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii,* He-  
 braicè est *בֵּית הַשֵּׂכֶר* *beth mischtheb, domum vini*, A-  
 rabicus vertit, *comotationis*: Græci reddunt *δίκην πότυ*  
 Pollux nominat *συμπεποτιον χώριον, συμπόσιον*, quod com-  
 muniter comotationem, aliquando tamen denomi-  
 nat & significat locum convivii. Itaque à bibendo tam  
 Græcum quam Hebræum vocabulum est desumptum:  
 sicut ab edendo eodem quidam derivarunt: nempe, quod  
 in eâ sacrificantes edere consueverunt, ut scribit Servius.  
 Constat igitur, Latinos quoque morem habuisse in  
 conviviis sermocinatione jucundâ, & ingeniosis dictis  
 hospites & recreare & erudire. Eodem fine viros do-  
 ctos adhibebant magnates, immò Imperatores. Cum  
 inter suos conviuaretur Alexander Imperator, aut Ul-  
 pianum, aut doctos homines adhibebat, ut haberet fa-  
 bulas litteratas, quibus se recte dici dicebat et pasci, ut re-  
 fert Lampridius. Causas ejus moris habent Macrobi-  
 us, Plutarchus, Athenæus, Gellius. Universalis est illa,  
 ut quando corpus suis reficitur ac recreatur epulis, animo  
 non desint propriæ. Pretareâ, ut vini ac epularum licen-  
 tia compeſcatur docendi, discendi que freno, & quid-



piam dignum doctis auribus proferendi cura. Adhuc, ut jucundius instilletur morum doctrina, & quæ sunt e-  
jus generis alia: eadem verò tenacius etiam hæreant, quæ  
animadvertimus fieri tempore convivii moderati cum  
animus est hilarior: & refectio temperanter peracta.  
An fortasse idcirco cælestis Magister noster, & in ultima  
Cœnâ, ac Sacro illo suo convivio, & post illud longum  
habuit ad discipulos suos sermonem, & suavissimam de  
caritate dissertationem sententiis pulcherrimis plenissimam.

SED quoniam non est omnium, quamvis Sipientium,  
apte disserere inter paropsides & pocula; & non nisi  
paucorum eruditione excellentium, confingere ænig-  
mata, proponere parabolas, inducere problemata, in-  
troducta est apud Christianos postmodum, & quidem  
apud Religiosos in cœnobiis, monasteriis, collegiis ubi-  
bique; apud Principes maxime Ecclesiasticos, alicubi  
denique apud viros doctos gravesque domicilio iun-  
ctos, multis in locis, lectio tricliniaria ad mensam, e  
Scripturis divinis, Patribus, historia varia, similibusque  
libris. Quam mirificè commendant Sancti Basilus (a)  
& Augustinus. (b) fructum inde quem decerpant viri re-  
ligiosi non satis de prædicare possunt. Imitentur alii. Sa-  
alterius forte exemplo vellent. accipiant. Carolus V  
Principem, Regem, Imperatorem, adhibuisse lectio-  
nem mensæ, eaque delectatum, & profecisse, referunt  
ævi superioris historici.

SED desiderat fortasse quispiam paradigma aliquo  
dissertationis convivialis, in quâ more veteri de senten-  
tiis istiusmodi fuerit actitatum. Non occurrit sane  
commodatius illo, quod est apud Plutarchum in con-  
vivio septem Græciæ Sapientum à quibus fuit discipu-  
tum de Domo ipsa Sapientiæ, quid magis proprium

(a) Regul. brevi Reg. 130. (b) Epist. 109.



nostro instituto? Sed per Domum intellige, non tam ædificium, constans ex parietibus & tecto imposito, quàm, quæ in illo est. familiam, ejusque constitutionem & Sapietem œconomiam: de qua ita censuerunt Sophi illi sententiis in diversa vergentibus, Et quidem primus Solon dicebat, *Ea mihi optima videtur Domus ubi res est neque iniuste parta; neque in ea conservanda, diffidentia vel insumenda pœnitentia est locus.* Bias. *In quâ Dominus sua sponte talem se gerit, qualem foris propter leges.* Thales. *In quâ plurimum ocii Domino conceditur.* Cleobulus. *In quâ plures sunt, qui diligant, quàm qui metuant Dominum.* Pittacus *In qua neque desiderantur necessaria, neque requiruntur supervacanea.* Chilon. *Maxime oportet Domum urbi, quæ sub Rege est, similem esse.* Adjecit autem. Licurgum, cuiusdam, qui populare imperium Sparta instituere ipsum iubebat, respondisse, *Prius tu hoc Domui tue facito.*

## ARTICVLVS IV.

## DOMVS SAPIENTIÆ.

*Descriptio à Salomone facta Triclinio accommodatur.*

**I**TA QUE ut ad caput disputationis nostræ recurramus, per Domum Sapientiæ, Sensu Grammaticali, seu secundum litteram, recte intelligitur Triclinium, ad quod Sapiencia sui studiosos, & uel jam, vel postea futuros discipulos invitat, ut in eo, tanquam cum sibi optatissimis, carissimisque hospitibus differat, iisque moralia sua præcepta, acutas argutasque sententias ingeniosa ænigmata, jucundas parabolas. dum mensæ accumbunt, communicet: talibus enim scætet ab illo potissimum lo-



co Proverbiorum liber. Et sanè, quæcunque Salomon, dum describit Domum Sapientiæ, commemorat belle Triclinio conveniunt. Imprimis rectè dicitur Triclinium *Domus*, Hebræorū more, secundū illorum idioma, quo locus quilibet ad comorādum idoneus. vocatur *Domus*. Sic canticorum II. inquit Sponsa: *Introduxit me rex in cellam vinariam*, Hebraicè est, *In domū vini*; nempe in cænaculum, ubi apparatus erat nuptiale symposium. Ecclesiastici VII. *Melius est ire ad Domum luctus* (Syrus flendi) *quàm ad Domum convivii*. Litterali sensu, *Domus luctus*, & *Domus convivii* significare existimantur ab erudito interprete, in iisdem ædibus & sub eodem tecto diversi conclavia, sive loca, ex quibus unum destinatum erat jejuniis, pænitentia, luctui; alterum convivio, & hilaritati. Quasi dicat Sapientiæ Doctor: *Melius, hoc est, profectio tui, si te Sapientiæ studio addixeris, magis est conveniens, tibi que utilius, si conferas te ad conclave luctus ac jejuniis deputatum, quàm ad cænaculum splendidè epulis instructum. Religiosus diceret: Melius est ire ad cellam, quàm ad aream; ad Sacrarium, quàm ad refectorium; ad domum capituli, quàm ad domum colloqui. Habuisse autem Hebræos in suis ædibus, & Reges in palatiis, loca quædam remotiora, & domesticis haud pervia, quæ magis fuerint tenebricosa, quàm reliqua domus habitacula, ideoque ad secessum, tempore luctus destinata videtur colligi, et illo secundo Regum XII. Ubi scribitur de Davide pro puero sibi dilectissimo agrotante apud Deum suppliciter agente, quod jejunaverit, & ingressus seorsim jacuerit super terram: nimirum, quod ad secessum luctui destinatum, se contulerit, ibique solitarius hæserit. *Adiculam* vocabant olim Latini, quæ erat cellula in ædibus. *In adiculam seorsum isthac eat, iube* aiebat quidam apud Comicum*

micu  
fereb  
mus  
parat  
(a) ad  
appel  
Trich  
It  
& De  
mus r  
depir  
dici p  
TITI  
ad Po  
nubent  
videan  
na: nup  
Attenu  
tiones  
fatuta  
omnia  
sunt in  
sunt pr  
calciat  
boli por  
ulteri  
luctus  
correct  
aliquid  
Alibi i  
Domu

(a) li  
(e) Ho



micum. Iidem dictionem τῶν οἰκῶν, ad domus partem referrebant: & οἶκος, ac Latinis elementis, œcos, à quo œconomus, significat illud domus habitaculum, in quo viri separatim à fœminis epulabantur, ut constat ex Vitruvio (a) ac Plinio. (b) Græci autem sine addito, οἶκος, domus appellabant Cœnationes, ut Ciaconius observat in Triclinio Romano.

ITAQUE, sub eodem tecto esse potuit Domus luctus, & Domus Convivii, Domus fletus, & Domus risus; Domus mœroris, & Domus tripudii. Utramque graphicè depingit S. Chrysostomus, & sibi illas opponit, ut una dici possit DOMUS SAPIENTIÆ, altera, DOMUS STULTITIÆ. Audite facundissimum Oratorem, homil LXII. ad Popul. Si vultis, duas Domus describamus: hanc quidem nubentium, hanc verò lugentium: mente utramque ingrediamur: videamus, utra melior. Invenietur lugubris, SAPIENTIÆ plena: nuptialis plena STULTITIÆ (in Græco est, confusionis.) Attende turpia verba, in compositos risus, in compositiores loquutiones: & vestis & incessus deformitate est plenus: verba multa fatuitatis, & STULTITIÆ plena, & aliud omnino nihil: risus omnia & derisio, quæ sunt illic. Non nuptias dico, absit? sed quæ sunt in nuptiis. Tunc natura debacchatur, bruta pro hominibus sunt presentes. Hi quidem, ut equi hinnunt: hi autem, ut asini calcitrant: multa effusio, nihil studiosum, generosum nihil. Diaboli pompa, cymbala, & tibiæ, & cantica fornicationis, & adulteri plena. At non ita in DOMO SAPIENTIÆ, Quæ est luctus, ubi omnia composita, multa requies, silentium multum, correctio multa, inordinatum nihil. nihil in compositum. Siquis aliquid loquutus fuerit, omnia sunt verba Philosophiæ plena. Alibi idem summus Orator (c) Domum luctus, quæ est Domus Sapientiæ, docet esse Religiosorum domicilium

um

(a) lib. vi. cap. 5. & 6. (b) lib. vi. cap. 25.  
(c) Hom. xiv. in 1. ad Timoth.



um, ubi est jugis meditatio mortis, cinis, cilicium, solitudo, jejunia, chaumenia, luctus sine risu. Iterum differens coram Populo (a) Verè, inquiebat, Domus luctus est Monasterium ubi saccus & cinis, & solitudo: ubi risu non est, neque secularium turbela negotiorum. Ubi jejunium, & stratum humi cubile: omnia pura à nidore cruoribus, tumultu, perturbatione & vexatione. Portus est tranquillus: in quo sunt tanquam faces in excelso loco, ut procul adventantibus luceant, & ad portum perducant. In portu sedentes sunt securi omnes; absque metu naufragii tam ipsi, quam quos ad se trahunt, quosque non permittunt versari in tenebris. Ad eos absque hospitare, accede, sanctos illorum tange pedes: multo namque honestius est, illorum pedestangere, quam meliorum caput. Denique Domum luctus vocat omnem locum ubi jacet mortuus. Dionysius Carthusianus templum, ubi fit sermo de novissimis.

At S. Hieronymus, Domum luctus interpretatur exequias funeris, aut in qua apparatus pompa funebris, quae duci solet à domo defuncti, & perducitur ad locum sepulchri: *Infernus domus mea est*, aiebat Patiens cap. xvii. ambulans ad tumulum: utrique convenire potest Domus luctus. Quid mirum, cum Hebraei locum omnem, quod quid recipitur, cellam, stabulum, cubiculum, immò omne, quia receptaculum, Domum appellant, sic Bethlehem *Domus panis* est dicta: an fortasse eo loquendi modo, quo Sicilia horreum, granarium, aut cella penuriam Romanæ Reipublicæ? Immo, odorum aromaticorum pyxidulæ apud illos domus nomen habent. Ita illud Psalmi XLIV. (a) *Myrrha & gutta & casia à vestimentis, à domibus eburneis*, interpretantur plurimi: Ut sit se-

(a) Homil. LIX. ad Popul. item homil. xv. ad Popul.

(b) Psal. XLIV. 9. Campensis Jansenius Crucius Arias. Olearius Lyranus Janicicola Arguanus.



ſus; circumfers tecum eburneas capſulas plenas odora-  
 mentorum; e quibus mira ſuavitas in omnem partem  
 diffunditur. Non eſt igitur inſolens, per Domum Sapi-  
 entiaſignificari in regia Imperatricis illius Triclinium,  
 quod Romanis etiam Diata, Cœnatio, & Cœnacu-  
 lum dicebatur, locus ad cœnandum, ſeu ſumendum ci-  
 bum idoneus: nam & prandere inibi ſolitos reperio.

## ARTICULUS V.

## COLUMNÆ SEPTEM

*In Domo Sapiencie, quâ Triclinio.*

QUOD ſubjungitur à Salomone, *excidit columnas ſeptem*  
 quod Septuaginta legunt, *ſubdidit Syrus, erexit;*  
 Chaldæus, *Statuit in eâ;* Arabicus, *ſecit eam inniti ſeptem*  
*columnis,* non eſt alienum à Triclinii, ſeu Cœnaculi archi-  
 tecturâ: ſive per ſeptem intelligantur indefinitè plures,  
 ſive præciſe tot, & non plures. Siquidem non Hebræo-  
 rum modò, ſed Romanorum quoque & aliarum gen-  
 tium cœnationes vel columnis tanquam fulcris & baſi-  
 bus ſuperædificabântur, vel ordine diſpoſitis ornabantur:  
 immò, præcipua ſtructuræ pars in cœnaculis erant Co-  
 lumnarum ordines. Præter ornatum, ad uſum etiam  
 erant Columnæ, quæ in Triclinio erectæ, vela & aulæa  
 ſuſpenſa habebant, ad menſam obtegendam, ne quid  
 pulveris aut ſordium ſuper epulas incideret, vel ad ſola-  
 res radios avertendos.

Huc facit narratio, quam texit auetor ſacer Eſtheris  
 primo, ubi Rex Aſſuerus iuſſit *ſeptem diebus convivium præ-*  
*parari in veſtibulo horri, & nemoris, quod regio cultu & manu*

con-



conscitum erat. Et pendebant, inquit historicus, ex omni parte tentoria ac varii coloris, & carbasini & hyacintini, sustentata funibus byssinis atque purpureis, qui eburneis circulis inserti erant & columnis marmoreis fulciebantur. Lxxta paullo explicatius super funibus byssinis & purpureis, super cubos aureos & argenteos super columnas parvas & lapideas. Nominant Κίβυς, Vitruvius vocat taxillos, qui pyramidibus, pilis, & ingentibus molibus, ut firmius insistat, substruuntur. Jam concipe Domum Sapientiae, ut Triclinium, quod ut esse amplissimum, firmissimum, ornatissimumque SAPIENTIA excidit, id est, è rupe succidit, dolavit, polivit, erexit, stabilivit, & supposuit Columnas mystico numero, septem, qui omnem designat perfectionem, quam continet DOMUS SAPIENTIAE.



## NOTÆ.

§. I. DOMUS Sapientia, Triclinium. ] Auctores, Galatinus, lib. 3. de Arcanis fidei, cap. 3. Aben. Ezra, Salazar, Cornelius in Prover. De Triclinio legendus Fulvius Ursinius & Alph. Ciacconius.

§. II. Mos differendi in Conviviis, jucundè, eruditè, sapienter, parabolicè, ænigmaticè, moraliter, habetur ex Athenæo, Platone, Macrobio, Plutarcho. ] Consulendi ex recentioribus, præter nominatos, Nicolaus Serarius Eisdæ 1. à quæst. XII. & Judicium XIV. ubi de convivio nuptiali Samsonis, à quæst. XII. usque ad XVII. commentatores Ecclesiastæ VII. ubi Joan. Lorinus.

§. III. ÆDES. ] Dicitur Ædes ex Servio, ab Edo nam quædam sunt nomina, quæ initio diphthongum recipiunt, quamvis à verbo monophthongo deriventur, ut ædes, æsculus. Varro lib. 4. de ling. lat. ab aditu fieri putat: quod scilicet plano pede adibantur unde etiam prima syllaba diphthongum accepit, Festus: Ædes quod in edito poni soleret. Alii Ædem dici existimant, quod in ea ævum degatur, quod Græcis ἀειον dicitur.

§. I. V



§. IV. Vfus *Columnarum in Tricliniis.*] Apud Plautum, qui Triclinium jubet apparari, ita edicit.

*Ius in columnis deijciet operas aranearum?*

*Ius in splendorem dari bullas has foribus nostris?*

*Hospite venturo cessabit nemo tuorum:*

*Verte pavimentum, nitidas ostende columnas,*

*Arida cum tota descendat aranea tela,*

*Hic lavet argentum, vasa aspera tergeat alter.*

Juvenalis.


Ad tentoria velaque in Triclinio referri possunt illa Horatii.

*Interea suspensa graves aulea ruinas*

*In patinam fecere trahentia pulveris atris*

*Quantum non Aquilo Campanis excitat agris.*

Columnæ sunt fulcra & bases, quibus Sapiencia Domum suam superædificat. Exempla habemus in Architectura Romana. Romæ templa S. Petri S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, B. Virginis Majoris, S. Cæcilie, & aliorum quorundam Cælitum, Columnis è marmore excisis, iisque plurimis & magnificis insunt, ac sunt inædificatæ.



SER. IV,